



BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
A
10
NAPOLI



SANCTAE

AMALPHITANAE ECCESIAE

DIOECESANA SYNODUS

ANNO DOMINI MDCCCXVI.

CELEBRATA



NEAPOLI

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATICAE
MDCCCXVII.





DOMINO

JESU CHRISTO

SACERDOTI AETERNO

SILVESTER ARCHIEPISCOPUS AMALPHORUM

INDIGNUS FILIUS ET SERVUS.

JAM mihi, DOMINE, ad extremam vitae lineam properanti, formidolosum Tribunal menti obversatur, ubi TU, quem Apostolus EPISCOPUM dixit ANIMARUM, sedens in gloria Patris Tui, rationes meas expendes, ac decretoriam illam sententiam pronunciabis, unde aut beata, aut cruciabilis pendet aeternitas. Quid dicam? Quid respondebo? Gregem Tuum

commissum vigiliis curisque meis, an a luporum rapacitate, atque incursu latronum strenue vindicaverim, an vitam pro ovibus obtulerim, an laetis in pascuis Verbi Divini collocaverim, Pastoris denique boni an defunctus officio fuerim, severissimo examine justus expendes. *Sanguinem eius de manu tua requiram*. Verba haec sunt praemonentis. Horresco dum dies meos recogito, dum sententiam meditor judicantis, nam judicabis, Domine, etiam justitias. At quis unquam ita justus, cui nihil omnino humanae faecis quae claram et liquidam actionum lucem deturpet? Vineam Tuam, CHRISTE JESU, excubiis quantum potui vigilavi, noctu diuque custodire sategi: sed quid, me miserum! si vulpecularum aditum non obstruxi, si succrescentem mali graminis luxuriem radicitus non evulsi? Et haec profecto de manu mea, DOMINE, requires. Hinc me totis viribus in hoc

ultimo stadio adniti in hoc statui, ut exemplo et verbis naevos, quos potero, diligentissime eluam, ne Tibi sistar, et propriis et alienis quoque maculis immundus, neve desim partibus meis, et in Ecclesia sancta tua, ullam, si fieri potest, labem corruptelamque relinquam. Quumque illud viderim a Sacerdotibus praecipue tuis populum exempla morum petere, et Christianae adiumenta sapientiae; Synodum dioecesanam, vestigiis decessorum meorum insistens, habendam mihi proposui, qua doctrina et probitas, cum primis ecclesiastici hujusce Senatus sartae tectae servarentur, nec non gravitas illa et majestas sacri ministerii a profanorum cachinnis immunes Christifideles omnes in officio contineret. Quod quidem consilium, Te luminum Patre inspirante susceptum, inter maximas difficultates jam denique auspiciis et ope Tua reipsa perfectum video, et magnopere gratulor. Quas tibi

Constitutiones, benignissime Jesu, beneficii memor ad Sacratissimos Pedes Tuos deponens, per Sanguinem Tuum generis humani bono profusum Te rogo et obtestor enixe, ut numine Tuo probes, tuearis, et provehas, ut salutares quotidie fructus et seges amplissima bonorum operum ex Legis Tuae semine, non spinis et saxis commisso, sed fecundissimae telluri, magis magisque colligantur. Sunt enim hi Sacerdotes Ecclesiae Tuae filii et commilitones mei docilitate cum primis et cura ac diligentia non vulgari magnopere laudandi. Quos commendo Tibi, Domine, ut peculiari dilectione et auxilio foveas atque custodias, ut in observandis Synodalibus decretis quotidiana sedulitate et studio laudentur, sintque exemplo Populis, et operarios deinde novos instituant, iisdemque regulis vitae imbuant. Spero quidem, Jesu Domine, non oblitum propterea misericordiarum Tuarum Te

invenire quum judicabis, sed fraterno amore mihi indulgentem quae peccavero, quorumque ex animo me poenitentem et ego profiteor et conspicis. Nam et Tu *Primogenitus* es *Mortuorum*, testante Apostolo, nec me terrestris vitae vinculis absolutum, projicies a facie tua, et de fratrum numero expunges. Id ego enixe cupio, de hoc Te obtestor per viscera misericordiae Tuae, et praetiosum Sanguinem redemptionis humanae, quo me abluas, precor, et in candidatum electorum gregem recipias. Valeat apud Te Matris Tuae clementissimum, quod experior, patrocinium; valeant preces Andreae Sancti Apostoli Tui, cujus corpus in hac sancta Basilica requiescens colo et veneror. Fac ut Te amem, Teque ad amandum alios traham, et in osculo Tuo denique ita me mori contingat, ut novae atque aeternae vitae transcribar. Hoc largire, Dominè Jesu. Fiat. Fiat. Amen.

NOS F. SILVESTER MICCU' ORD. MIN. OB. S. FRANCISCI, IN REGIA UNIV. NEAP. S. T. M. DEI ET APOST. SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS AMALPHITANUS, SACRAE REGIAE MAJESTATIS A LATERE CONSILIARIUS, ec. ec. ec.

UNIVERSIS Venerabilibus Fratribus ex Clero hujus Archidioecesis, Filiisque omnibus popularibus utriusque sexus salutem, veramque pacem in Christo Jesu Domino nostro.

Quamvis ea sit hominum conditio ut nemo repente pessimus fiat, sed paullatim, neglecta severiori custodia, in vitium delabatur; quaedam in saeculis obveniunt aetates, in quibus, conjurante impiorum audacia, Pastorum timiditate, bellorum licentia, aliisque in unum confluentibns causis, immensa, ac propemodum incredibili ruina mores parvo temporis spatio perdantur, ut prisca illa disciplina, et sanctitas, non solum pereat omnino, sed et populari quoque convicio, et risu

excipiatur. Quam dolet! Quam nollem haec de nostro fateri tempore! At fatendum sane, ac deflendum est. Eo demum retroacta ultimis hisce annis disciplina Ecclesiae videtur, ut paene ad caligines medii temporis retrusa, immo prorsus dissoluta sit, ac penitus eversa. Apostolatus ergo nostri admonemur officio, ut more majorum recepto, Divinoque Consilio ab Apostolis, eorumque Successoribus usurpato, remedium tantis malis quaeramus. Sanctam Synodum Dioecesanam indicimus. Conventum Presbyterorum Ecclesiae Dei, Sancti Spiritus praesenti Numine adflante, quo zizania, et logigo messem Dominicam praefocantes eruantur, sentes pariter, vepresque in Christi vineam prorepentes omnino eradicentur. Quam maxime invaluere mala, tam maxime opus est in adhibendis remediis alacritate, ac celeritate. Dioecesanam Synodum inquam instituimus non sine spe fructuum laboris uberrimorum. Non absurde idcirco spe ducimur ad imitandos Pastores sapientissimos, animo jam praeconcipientes adfutura quoque Nobis, sicut et illis, Divinae Benignitatis auxilia, fructusque tandem sudoribus responsuros.

Adeste, Venerabiles in Christo Fratres, Filii dilectissimi, adeste fortiter, adjuvate Pastorem, dum saevientem ad septa lupum, Christi oviculis struentem insidias, eorumque

sanguini inhiantem, fame improba incitatum exterminare satagit, et quam potest longissime amolire. Preces ad Deum Optimum Maximum fundamus omnes, lacrymis emundantes conscientias nostras, ut Coelestibus auspiciis in tanto non destituamur sancto opere. His de rebus haec universis, et singulis pro sua quisque parte servanda praecipimus.

Sancta ergo Synodus Amalphitana in Cathedrali Basilica habebitur Dom. IV post Pent. advenientis Mensis Junii die trigesima, hoc ipso anno 1816 ab ora italica nona, et deinceps.

A die porro decima, ad diem 30 ejusdem Junii, non exclusam, volumus, praecipimusque in Sanctissimo Missae Sacrificio, et in omnibus Ecclesiasticis functionibus addi Collectam de Spiritu Sancto.

Die vero decimanona Junii, ac per septem deinde alios dies, Metropolitanae Ecclesiae Capitulum mane quolibet Litanias Majores cum adjunctis precibus decantans, extra Templum ritu consueto procedat, et fontem, qui est in medio foro circumeat, quae supplicatio pariter fieri volumus ab omnibus Capitulis Conlegiatis.

Denique mandamus, atque praecipimus, omnes quotquot sunt Urbis, ac Dioecesis Presbyteros, die, et hora superius indicta,

in Cathedralem Ecclesiam congregari habitu Chorali indutos, puris mente, et manibus, recogitantes quanta de re sit agendum, quantoque negotio consortes advocentur, ac testes. Praescriptum, atque indictum terminum stabile, ac nullo pacto prorogandum definimus. Qui dicto non paruerit, nisi morbo gravi implicitus, aut defecta prorsus aetate impediatur, sciat se canonicis poenis gravissime coercendum. Qui vero impediuntur, ut diximus, procuratores suos mittant, adjecto Parochi testimonio de impedimenti veritate.

Parochis injungimus, ut haec omnia ad Populum referant, ne preces omittat, simulque, ut qui potest, Synodo intersit, Exomologesi praemissa, per manus nostras sanctam accepturus Eucharistiam, nec non ut Plenariam consequatur Indulgentiam peccatorum a Clemente XIII in hisce occasionibus concessam.

Edictum hoc nostrum volumus publice proponi in Valvis nostrae Cathedralis Ecclesiae, aliarumque in Dioecesi Parochialium, ut nemo ignorantiae, vel erroris causam praetendat. Datum Amalphis ex nostris Aedibus Archiepiscopalibus die 29 mensis Maii, anno ab Incarnatione MDCCCXVI.

F. Silvester Archiepiscopus Amalphitanus.

Nicolaus Can. Volpe Canc.

INCHOATIO SYNODI AMALPHITANAE

DECRETUM I.

Quo incoepta Synodus declaratur.

In nomine Sanctae, et Individuae Trinitatis; ad honorem Ejus, et gloriam; sub sancto Patrocinio Beatissimae Virginis Matris Dei; Sanctorum Petri, Paulli, et Andreae, aliorumque Apostolorum, omniumque Sanctorum, atque Sanctarum.

Indicta jam Synodo in hodiernam diem trigesimam Mensis Junii, quae est Dominica IV post Pentecosten currentis anni millesimi octingentesimi decimisexti, postquam Edicti propositi series sub die vigesimanona Mensis Maii fecit, ne de Clero quisquam ignorantiae caussam praetendere auderet; jam videmus Venerabiles Fratres, et Filios in Christo Dignitates, et Canonicos Metropolitanae Cathedrae, Conlegia Dioeceseos, Archipresbyteros, Parochos, reliquasque omnis Ecclesiastici Ordinis Personas convenisse. Itaque, pastorali omnes Benedictione, et amore complexi, ad Synodum inchoandam rite accedimus; eamque hoc temporis articulo *in nomine Patris, et Fi-*

lii, *et Spiritus Sancti* decernimus, et declaramus incoeptam, ut quaecumque in ea proferentur Constitutiones, ad morum disciplinam, et Sacramentorum confectionem pertinentes, pro regula, et lege sint omnibus, et singulis de Clero, et Populo in Dioecesi hac nostra degentibus. Ideo et praeteritas, quae ad haec tractanda spectant, Constitutiones abrogamus, et Consuetudines, ubi vel Juri Ecclesiastico, vel proferendis in Synodo regulis adversari deprehendentur: nec non omnia volumus in communione, et subjectione omnimoda erga Sanctissimam Sedem Apostolicam Romanam peragi, et peracta censeri.

DECRETUM II.

De praejudicio nulli inferendo in Synodo.

Nulla excitetur inter Fratres vel minima de primatu, vel honorificentiis quibuslibet controversia. Quisque suo aptetur loco: omnes sedeant, incedant, vocentur eo ordine, qui dignitati, officio, aetati cujusque respondet. At si fortasse contigerit unum, vel plures non suo reperiri loco, vel quomodolibet majores minoribus postponi videbitur, volumus, atque declaramus, nullum ex hoc casu cuique inferri praejudicium; sed omnia

in eodem deinceps permanere statu, quo antea reperiebantur; sicque caritati omnia, quae in presentiarum peragentur, atque humilitati consentanea erunt.

DECRETUM III.

De frequentia Synodi, et de non discedendo ab ea.

Volumus insuper, ut omnes, et quilibet in Sancta hac Synodo congregati quam modestissime se gerant, habituque corporis ostendant quanta negotii aestimatione, ac veneratione tangantur; neque hinc discedere audeant, sessionemque deserere absque nostra peculiari in scriptis concessione, poenis omnino canonicis per eos subeundis, qui ausu temerario, pessimoque exemplo obtemperare detrectaverint.

DECRETUM IV.

De Synodi Officialibus.

Cum vero dignitati, et rerum ordini consulendum sit in Sessione hac nostra, Officiales pronunciamus hujusce Sanctae Synodi,

quemlibet suo muneri deputatum, illos esse habendos, qui subjecto albo recensentur.

Promotor Synodi.

Perill. et Reverendissimus Dominus Josephus Lastaria Thesaurarius, et Canonicus Theologus hujus Cathedralis.

A Secretis Ejusdem.

Adm. Reverendus D. Januarius Casabona Canonicus ejusdem Cathedralis.

Magistri Coeremoniarum.

Rev. D. Camillus Gambardella Hebdomadarius nostrae Cathedralis: et Rev. D. Nicolaus Laudano Hebdomadarius Supernumerarius.

Horum Coadjutores.

Rev. D. Cajetanus Gambardella Hebd. Supernumerarius: et Rev. D. Andreas Paolillo Oeconomus Curatus Pastinae.

Notarii Synodi .

Adm. Rev. D. Nicolaus Volpe Canonicus hujus nostrae Cathedralis , et ordinarius noster Cancellarius .

Rev. D. Emmanuel Volpe Hebdomadarius nostrae Cathedralis .

Procuratores Cleri .

Perill. et Reverendissimus D. Dominicus Gambardella Primicerius nostrae Cathedralis .

Adm. Rev. D. Franciscus Tajani Canonicus nostrae Cathedralis .

Adm. Rev. D. Salvator Talamo Canonicus Collegiatae Positani , et Vicarius Foraneus.

Adm. Rev. D. Vincentius Santelia Canonicus Collegiatae Majoren , et Vicarius Foraneus .

Adm. Rev. D. Franciscus Pisani Canonicus Teologus Collegiatae Atranen .

Adm. Rev. D. Dominicus Sparano Archipresbyter , et Vicarius Foraneus Tramonti.

Adv. Rev. D. Felix Cuomo Archipresbyter , et Vicarius Foraneus Agerulen .

Adm. Rev. D. Petrus Primicerius Avitabile Parochus S. Jacobi Terrae Furoris .

Adm. Rev. D. Aloysius Galani Vicarius Foraneus Vetticae Majoris , et Plagiani .

Rev. D. Raphael Ferrajolo Oeconomus Parocciae S. Michaelis, et Vicarius Foraneus Conchae.

DECRETUM V.

De Examinatoribus Synodalibus.

Porro declaramus Examinatores Synodales, juxta Sacrosancti Concilii Tridentini Statuta, Sess. XXIV de reformatione, Cap. XVIII, qui hoc munere fungentur in Collatione Ecclesiarum Parochialium, praeclaro hujusmodi officio decoratos ad usque Synodi alterius celebrationem, etsi annale spatium celebratio talis excedat .. Hi postquam Synodo satisfecerint, et ab ea probati fuerint, solemni sacramento se adstringent in manibus nostris de munere fideliter exercendo, emissa prius coram nobis Fidei Professione. Itaque eorum omnium nomina sunt:

Examinatores Synodales ex Clero Urbano.

Perill. et Reverendissimus D. Andreas Paolillo Archidiaconus Cathedralis Ecclesiae.

Perill. et Reverendissimus D. Andreas Lucibello Cantor hujus Metropolitanae Ecclesiae, et noster Vicarius Generalis.

Perill. et Reverendissimus D. Angelus Antonius Proto Decanus Sanctae hujus Cathedralis Ecclesiae.

Perill. et Reverendissimus D. Dominicus Gambardella Primicerius ejusdem nostrae Cathedralis.

Perill. e Reverendissimus D. Joseph Lastaria Thesaurarius, et Theologus hujus Sanctae Amalphitanae Ecclesiae.

Adm. Rev. D. Nicolaus Proto Canonicus ejusdem Ecclesiae.

Adm. Rev. D. Franciscus Canonicus Tajani.

Adm. Rev. D. Felix de Stefano Canonicus, et nostri Seminarii Rector.

Ex Clero Dioecesano.

Adm. Rev. D. Thomas de Vivo Praepositus Ecclesiae Collegiatae Majoren.

Adm. Rev. D. Joannes Talamo Parochus Collegiatae Positanen.

Adm. Rev. D. Aloysius Vollaro de Guido Praepositus Ecclesiae Atranen.

Adm. Rev. D. Mattheus Romito Canonicus Ecclesiae Positanen.

Adm. Rev. D. Felix Cuomo Archipresbyter Agerulae.

Adm. Rev. D. Franciscus Pisani Theologus Collegiatae Atranen.

Adm. Rev. D. Philippus Francese Parochus Tramonti.

Adm. Rev. D. Franciscus-Antonius Montuori Parochus Terrae Furoris.

Adm. Rev. D. Nuntius Rocco Terrae Plagiani.

Adm. Rev. D. Aloysius Galano Vicarius Foraneus Vetticae Majoris, et Plagiani.

Adm. Rev. D. Michael Gambardella Oeconomus Curatus Ecclesiae S. Pancratii Conchae.

Examinatores non Dioecesani.

Perill. et Reverendissimus D. Paschalis Pisacani Primicerius Cathedralis Ravellensis.

Perill. et Reverendissimus D. Cajetanus Mansi Canonicus Theologus Ecclesiae Ravellensis.

Adm. Rev. D. Ferdinandus Gambardella Canonicus, et Vicarius Capitularis Ecclesiae Scalensis.

Adm. Rev. D. Joannes-Andreas Gambardella Canonicus Scalensis.

Perill. et Reverendissimus D. Aloysius Pepe Archidiaconus Ecclesiae Minorensis.

Perill. et Reverendissimus D. Aloysius Cantor Jannelli Vicarius Capitularis Minoren.

Perill. et Reverendissimus D. Joannes Gambardella Primicerius Ecclesiae Minoren.

Adm. Rev. D. Aloysius Pepe Canonicus Supernumerarius Minorensis.

Ex Clero Regulari.

Reverendissimus P. Magister Aloysius Cassitti Ord. Praedicatorum, Antecessor Primarius in Regia Universitate Neapolitana.

Reverendissimus P. Franciscus Maria a Ponticello Ord. Min. Obs. S. P. Francisci, ex-Minister Provincialis, et Regius Commissarius Generalis Terrae Sanctae.

Reverendissimus P. Nicolaus Onorati a Craco Ord. Min. Obs. S. P. Francisci ex-Minister Provincialis, et Publicus Regius Professor in Neapolitana studiorum Universitate.

Adm. Rev. P. Joachim Mansi Magister Ord. Min. Conventualium S. Patris Francisci.

Januarius Canonicus Casabona a Secretis.

ORATIO

HABITA IN SANCTA SYNODO AMALPHITANA ANNO 1816.

Ab Ill. et Reverendissimo Domino F. Silvestro Miccù Archiepiscopo .

Venerabiles Fratres , Filiique dilectissimi in Domino Jesu .

Jam usque ab anno millesimo octingentesimo quinto , quum Ferdinandi IV Principis Augustissimi postulatione , Sanctissimi Patris nostri Pii VII Summi Pontificis feliciter regnantis jussu , et auspicio , ab Ecclesiarum Ravellensis , et Scalensis , quae sub die 31 Junii anni millesimi sexcentesimi tertii per Clementem VIII fuere perpetuo unitae , Episcopatu , mihi , licet indigne , per annos jam quatuordecim gesto , ad hanc regendam Metropolim admotus fuerim ; in animo semper habui , ut sanctum Presbyterorum coetum cogerem , Synodumque Dioecesanam celebrarem. Turbulentissimum , quod successit , calamitosumque decennium , tremendo sane Dei judicio , nobis omnibus , Fratres , toleratum , consilii nostri rationes intercepit , votumque distulit. Sed ope tandem Omnipotentis Dei , Pace Orbi reddita , Clementissimo Rege etiam

Populis suis devotissimis redonato, nihil antiquius habui, quam ut exorsa retexerem, magnoqne illo Episcopatus nostri debito satisfacerem.

Quam quidem Synodum nunc habemus, divinae miserationis largitate, ea vel a primo isto nostri Archiepiscopatus initio pernecessaria visa est, ut in hac Dioecesi cogeretur, ubi mortalitatis imbecillitate factum dolebamus, quod non sine lacrymis et in peracta sancta Visitatione vidimus, et profiteri nunc non veremur: languorem scilicet nescio quem nonnullos Sanctuarii Ministros occupasse; languorem, inquam, qui et ipsos altissimo muneri impares plane reddit, atque indignos; et Gregem reliquum Jesu Christi ipsorum praecipue curae, disciplinae, custodiaeque commissum a pascuis arcet laetissimis aeternae vitae, et a fontibus Salvatoris. Et quamvis vel minimam Cleri nostri partem, pietate divina, coelestis ille ignis adurat, quo et corda hominum accenduntur, et Altissimi Dei gloria manifestatur; ardor tamen ille efficax, qui magnarum est rerum molitor, zelusque sanctae Domus Dei retro per ipsosmet infecilissime cessit. Jam nausea, oscitantia, ignavia, malo fato, in hanc deteriorem Cleri partem irrepserunt: disjecti ubique per plateas, et contemtim obtriti lapides Sanctuarii:

decor domus Domini defluxit: decoloratum denique, atque ex obryzo aurum in scorias vilissimas degeneratum conspicitur.

Ad igniculos ergo pristinos refovendos, ad suscitandum paene extinctae pietatis ardorem, unde videtur dumtaxat et Gloriam Domini, et Animarum salutem quodammodo reviviscere, atque in pristinum posse restitui, quid promptius ope sua, quid expeditius effectu, quam hujusce Sanctae Synodi celebratio? Et ipsa quidem si, ut justa spe auguramur, Deus Optimus Maximus clementia sua, et misericordia respiciet, sola utique reparabit labem atque ruinam, quibus Ecclesiam Amalphitanam everti, moerore summo perculsi, expavescimus, partem sanctae Universalis Ecclesiae non infimam, vel minime contemnendam, augustam Domum Altissimi, Sponsamque sanctissimam Christi Domini, qui redemit ipsam, ac desponsavit in Sanguine suo.

Sanctae nempe Synodi celebratio illa est anchora salutis, quam Mater Ecclesia a temporibus jam inde apostolicis demittere consuevit, ut naviculam suam tot fere quotidianis naufragiis sarctam textam eximeret, quae undique minabantur vel intellectus errores, vel cordis humani depravatio. Atque hoc pacto oecumenicis Conciliis Catholica Ecclesia; hoc etiam pacto specialis, vel cujusque Gentis,

vel Dioeceseos Ecclesia de potentibus Inferferni portis, victoria semper splendidissima, triumphavit, Synodisque veluti repagulis objectis reclusit, errores depulit, filiosque devios ad meliorem frugem, viamque reduxit aeternae salutis. Hoc idem perspicacissimo consilio factitarunt, Synodosque celebrarunt multi ex praeclaris nostris Antecessoribus, adeoque et jam ultimus, qui Archiepiscopalem hanc immediate ante nos Cathedram occupabat vere meritissimus, ac bonae, sanctaeque memoriae Antonius Puoti.

Claruit olim, et Cuinam Vestrum haec, que memoratu digna arbitror, ignota sunt? claruit Amalphitana Metropolis non potentia solum, atque opibus, ut in Regno nostro nullam habeat hac in re comparandam, quae nempe commercio florentissimo, aeque ac Ligures, Venetique nobilitavit Italiam; sed et Legum, et Morum severitate, quippe haec Ius Romanum Libris Iustiniani comprehensum Orbi, atque Posteritati servavit: haec quamplurimorum quolibet paene soeculo suorum Civium pietate, doctrina, moribus, paci, bellique artibus immortalitate dignorum Mater fuit, et Altrix, quos inter Flavius Magneticae pixidis Repertor, adeoque novi Orbis Repertorum Antesignanus, generis humani servandi, exco-

lendi, ac ditandi non ultimus certe auctor, tantoque beneficio fabulosum illum antiquitatis Herculem longe supergressus. Sed haec sunt nihili si nobilitas, si decus, et honor hujus Sanctae Amalphitanae Ecclesiae spectetur a Primenio Sancti Gregorii Magni discipulo fundatae saeculo labente sexto.

Quot heic Antistites floruere, tot nituere orbis christiani Sydera. Leonem mitto, qui decimo Christi saeculo primus meruit a Joanne XV Archiepiscopus salutari. Mitto Matthaeum Capuanum nobilem Amalphitanum, qui a Petro ejus Gentili, vel potius ejus Patruo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Capuano dono excepit praeclarissimo Venerabile Divi Andreae Apostoli Corpus, quod annis ab hoc nostro octo, et sexcentis e Byzantio huc nobis advexit, dum illuc praefatus Cardinalis Sanctae Sedis Legati Apostolici partes ageret. Mitto Joannem Capuanum supradicti Petri Cardinalis Nepotem, qui Seraphicum Patrem Sanctum Franciscum Assisinatem hospitio excepit; pluresque iterum mitto Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, inlustri morum sanctimonia, ac doctrina percelebres. In uno Joanne Cardinale Medicaeo consistam, qui Archiepiscopus renunciatus Amalphiae anno quingentesimo decimo supra

millesimum, mox ad Gregem Christi universum regendum evectus est, Leonis decimi adsumto nomine sempre immortali. Oblateret quippe Haereticorum livor: Leo Decimus saeculum creavit aureum, saeculum, quod ejus insignitum Nomine, nonnisi cum Orbe ipso evanescet: saeculum, inquam, quo literae, moresque hominum in faciem antiquitatis pulcherrimam rediere.

Tantis itaque talibusque Praesulibus commissa Ecclesia nostra, nonnisi fruges immensas in horreum Domini suppeditavit. Optimo huic mystico coelo, glebaeque optimae peritissimi accesserunt agricolae. Nunc vero imbecillitas nostra exemplis tam illustribus excitata, Spiritus Sancti auxilio, et virtute, quam demissis precibus imploramus, ad priora tempora revocanda enititur. Nec desperamus fore, ut lucrum Animarum cum usuris renascatur, bonamque Villicus quisque rationem Domino sit redditurus, dioecesanae cum primis hujusce Sanctae Synodi adjumento.

Sed quo tandem praecipue hujus venerabilis Comitii tendit indictio? quo labor? quo haec nostra cura? Praesensistis, opinor, Fratres in Domino dilectissimi. Nihil profecto aliud consequi, et in hoc unice adniti instituimus, animoque induximus, ut exci-

temini tandem aliquando, de medioque vestrum pudendus languor in servitio Dominico prorsus tollatur, negligentia extirpetur, reviviscat in pectoribus prope sopitus, atque in aliquibus vestrum, proh dolor! ignis ille delctus, quem Christus venit in terris mittere, quem vult ipse ad Dei gloriam accendi, ad salutem quoque animarum.

Et eo quidem igne, Venerabiles Fratres, nunquam vestra exaestuabunt praecordia, nisi omni studio, atque opere in addiscenda Jesu Christi sapientia desudetis. Haec inquam, haec scientia, sola cognitio Christi cuilibet ex Vobis dotes omnino omnes largitur, quas conditiónis ecclesiasticae augusta Majestas desiderat, dignosque praestabit omnes tam sancto, sublimique ministerio, memores nempe dum eritis divini Oraculi, quo dicitur: *Estote perfecti sicut Pater vester coelestis perfectus est*. Hac denique informante doctrina, vitae, morumque innocentiam, atque integritatem numeris omnibus absolutam nancisci dabitur, quae professionis vestrae nobilitas, et incomparabilis excellentia requirit.

Sancti, perfectique Domi eritis, vestrasque Familias inculpabili conversatione sanctas exemplo vestro reddetis; nullusque vestrum minaci, terribilique Apostoli sententia dignus

erit, qua ad Timotheum scribitur: *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Sancti, perfectique foris, dum Apostolica verba usurpabitis in ambulando, agendo, loquendo, in omnibus vitae officiis, nescire videlicet omnia, praeter Jesum Christum, et Hunc Crucifixum: dum debita castigatione, atque prudenti erga improbos, piaque admonitione erga ignaros, et rudes, palam facietis despectui vobis esse, quae corrupto huic saeculo admirationi esse solent; proque sordibus, et peripsemate vos habere fastum, gloriam, mundique fallaces honores; idque propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini nostri. Sancti in templo apparebitis, dum tota omnino mente in Deum conlecta, atque defixa, divinis Officiis praesentes, vel sancta celebrantes Mysteria, nihil aliud agere, aut cogitare audebitis, quam quod agit, et cogitat illo potissimum tempore triumphantis, et militantis consensus Ecclesiae. Sancti denique Fratres mei dilectissimi vos eritis, si aetate, munere, dignitate, honoribus primi dum estis inter Clericos hujusce Archidioecesis, memoriae mandabitis verba, quae Majoribus natu Israel olim dixit fortissima Mulier Iudith: *Vos estis Presbyteri in Domo*

Dei , *Vos Presbyteri in Populo Dei* , *et ex Vobis pendet anima illorum* : *ad eloquium vestrum corda eorum erigite* . Sancti Vos esse debetis, si simplici Sacerdotio , Diaconatu , Subdiaconatu , vel tantum minoribus Ordinibus estis insigniti : cuique namque vestrum , quae Timotheo in ejus epistola prima scripsit Paulus , ego repetam: *Nemo adolescentiam tuam contemnat* , *sed esto exemplum fidelium in verbo* , *in conversatione*, *in charitate* , *in fide* , *in castitate* . His profecto documentis solidam inculcabitis Populo venerationem , atque adorationem Jesu Christi Redemptoris nostri , Auctoris, et Fundatoris Ecclesiae suae sanctae , verumque odorem diffundentes suavitatis , Concives etiam vestros laicos, nobiles, ignobilesques, doctos, ignorantesque , pueros , aetateque provectos , mares, feminasque, sacro veluti suffitu expiabitis, deque profanis , et perditis , vasa profecto pura Deoque gratissima efficietis. Hanc insistentes viam universum Christi Gregem pastorali vigilantiae nostrae concreditum servabitis , quotidianis ereptum periculis , bene pastum, bene valentem sistetis. Sacerdotii quippe Sanctitas coetus nostri fines egressa , quidquid erit obvium , quidquid attinens jacere inter profana non sinet , sed et tantum dedicabit ,

et divinae sanctitati perdignissimum restituet holocaustum .

Simul ergo doctrina unica, et sapientia Christi penitus imbuti, gravissima implebitis ad quae vocati estis munia , et sancta sanctissime omnia gerentur, sancta scilicet Sacramenta ministrabitis , digne Fideles excipient. Tunc demum innocentia morum vestra in Populi exemplum exposita , Sacramenta utiliter suscepta , et collata Ecclesiae huic Amalphitanae majestatem , dignitatemque omnem reddent, quam praeterita sic tempora suspexerunt, quamque hodie Clementissimus Dominus omnino sibi debitam requirit. Hinc non nescii, multitudine praeceptorum, ac regularum impediri potius , quam facilem expediri viam ad rectam Ecclesiae disciplinam , paucis in hac Synodo , ac necessariis tantum definitionibus utimur , et singulari isto consessu de summis hisce rebus occupabimur, *Honestate* videlicet *Clericorum* , et *Sacramentis.* Agite, Fratres, praesentibus Nobis , in tantum opus conjunctis viribus incumbamus . Agite , ac *vestrum sit* , ut Vobis verbis ipsismet alloquar, quibus ad Clerum Amalphitanum in Synodo anni millesimi sexcentesimi trigesimi noni in hac Basilica habita sermonem habebat praeclarissimus Prae-

decessor noster Angelus Picus »: *vestrum sit* » *ad ea* exequenda, quae e Priscorum Pa- » trum Fontibus hausta Synodice acceperitis, » animos comparare. Suffundatur pudore, qui » Christi vestigiis non insistit, dum illum si- » bi Ducem suum selegit. Frustra hic Nobis » insudatus labor, frustra summorum virorum » evoluta volumina. Vestra quoque approba- » tio frustra quaesita, nisi quod omnium con- » sensu sancitum erit, id etiam re, atque exi- » tu exequamur: melius est enim leges non » habere, quam contemnere. Unde sicut no- » bis cordi, et curae erit, ut haec Synodi- » ca Decreta modo perlegenda adamussim ob- » serventur, et ex eorum praescripto vita com- » ponatur, et sacra omnia peragantur; ita » vos non imperio, ac instinctu nostro, quam » sponte vestra, et studio rite, et recte vi- » vendi, et solerter munerum vestrorum of- » ficia exequendi, eisdem obsequentissimos *fo-* » *re arbitramini. Agnoscite*, ergo, *Venerabiles Frates*, sunt verba piissimi, ac doctissimi ultimi Praedecessoris nostri Antonii Puoti in sua Synodo anno millesimo septingentesimo septuagesimo primo celebrata »: *Agnosci-* » *te dignitatem vestram*, *ad quam a Po-* » *pulo segregati* divinitus evecti estis, et juxta » illius excellentiam perficite, laborate, ac in

» omnibus vosmetipsos exhibete, sicut Dei » Ministros, ne vituperetur Ministerium ve- » strum; imo haereditatem ejus, qui vos ele- » git, adipiscamini, et egressi ex hoc con- » ventu, tanquam lucernae ardentes in cali- » ginoso loco, caeteris verbo, *et exemplo prae- » fulgere valeatis*. »

Beatissima Virgo Deipara sanctae universalis Ecclesiae Mater, Magistra, Praesidium auxilio suo praesenti Nos, certe, non deseret. Sanctissimus Redemptoris Mundi discipulus Andreas, sicuti primus inter Apostolos vocatus, sic primus inter Sanctos Protectores nostros nos adjuvabit praegrandi suo Patrocinio. Sicuti enim inter caetera ejus mirabilia, anno salutis millesimo, quincentesimo quadragesimo quarto Beatus Apostolus Patrocinium Ecclesiae nostrae suscepit, ita etiam sperandum, proque certo habendum, Nobis non esse in bono promovendo opere hodierna luce defuturum. Angeli hujus Dioecesis Custodes, Sancti, et Sanctae Dei, quorum reliquiae hic nostrae venerationi expositae conspiciuntur; omnesque Beati Coelorum Cives, Synodum nostram coelesti fovebunt patrocinio, et ad coeptorum finem, uti sperare est, tutissime perducet Gratia Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre, et Sancto Spiritu vivit, et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

SESSIO UNICA.

PARS PRIMA.

De Vita, et honestate Clericorum.

Vitam, et honestatem Clericorum tanto caeteris ordinibus praecellere oportet, quanto ipsorum conditio sublimior, propiorque, ut Patres docent, Officio Angelorum Deo ministrantium in Coelis. Num qui Altari deservit, et in rebus quotidie sacris versatur, profanorum hominum vitiis inquinabitur? Unde haec hauriet? Anne a praesentia Dei, et sacris literis, ac lectionibus, quibus vacat? Absit hoc. Omnino mala esse mente, animoque dicendus est, qui inter ipsos Angelos, et in Aula Dominica constitutus, mavult sequi immundum spiritum erroris, et pane relicto, paternaque domo, cum filio illo familias prodigo glandibus vesci, et servitutem tolerare miserrimam. Quo fit, ut perquam severissima ab aeterno Judice operum ratio requiretur, ubi quis ad sortem Domini vocatus, illa despecta, ultro in sordes saeculi prolabi delegerit: immo et obstinatam stultitiam saepe Deus in ipsa hac vi-

ta terribili poena coecitatis ulciscitur, ne audientes audiant, ne videant videntes. Quantum vero in populi mores a vitiis Clericorum labis redundet, difficile dictu est. Totus enim populus ad Clericorum exempla componitur, quibus morum censura a Christo, et Apostolis tradita perhibetur. Quî enim festucas notabunt in oculis aliorum, qui trabem in suis habent? Ergo cum caeteris insanis insanire, et chorum ducere ipsos oportet, quod dictu, et cogitatu ipso foedum ac miserrimum; neque amplius latrare convenit, ut canes solent vigiles ad septa Divini Pastoris, sed mutos, atque elingues jacere, data lupis inferni potestate atque arbitrio impune grassandi in tenebris, et gregem diripiendi. Aut si vocem efferre, ac mussare audebunt, et se, et Evangelium ipsum, quod ore profitentur, ludibrio, atque cachinnis impiorum exponunt. Quibus profecto malis non Ecclesiasticis tantum, sed per eos potissimum in plebem Dei universam impendentibus, ut remedia quaeramus opportuna, Clericos in domo, extra domum, in sacris aedibus versantes, praeceptis, monitisque hisce Synodalibus in officio continebimus.

CAPUT I.

De Ecclesiasticis Viris domi agentibus.

1. Unusquisque ex delectu gregis Domini, qui sacrae ejus militiae nomen dedit, videat sibi seorsim, quantum potest, a ceteris agendum esse, ne contactu faecis saeculi polluatur. Itaque et domi, si potest, peculiarem sibi cellulam deligat, qua se per maximam diei partem clausum teneat, in sanctitate, et justitia coram Deo, in salutis negotio, et Clericalibus officiis unice occupatus.

2. Porro et negotia, et lites, et quae ad rem familiarem pertinent, ad se pertinere non putet, nisi quantum necessitas, et charitatis ordo voluerit.

3. Censor potius, ac perpetuus Ecclesiastes in familia sua exsistat, nunc mores suorum suavi sermone, et maxime exemplo corrigens, nunc in Christi doctrina mentes erudiens. Dedecet quippe in ea domo, in qua Sacerdos degit, morum vigere corruptelam, ignorantiam rerum coelestium, ac vel unicum notari scelestum, et improbum.

4. Praecipue curet, ne luxuria, ebrietas, commessatio, atque alia hujusmodi familiam dedecorent, ne ibi res mali exempli fiant, ne-

que fieri putentur; denique sedulo adlaboret ne rixae suos distrahant, sed justitia, et pax in domo habitent, verissimamque pariant felicitatem.

5. Cellula Sacerdotis non alia supellectile ornabitur magis, quam venerandis imaginibus Jesu Christi, Virginisque Deiparae. Sanctorum Bibliorum copia praesto sit quotidianae lectioni, ac meditationi parata. Catechismus Sacri Concilii Tridentini, quem Romanum adpellant, pernecessarius quoque est. Accedent libelli Christianam philosophiam penitiorem docentes, ut sunt operâ S. Francisci Salesii; aureolus libellus de Imitatione Christi Thomae a Kempis vulgo adscriptus; Scupuli opuscula de Pugna Spirituali; Nicolai Cirillo Presbyt. Neap. Opera De Hominis Reparatione, et de Cordis Conversione, et praeclara scripta Ven. Alphonsi de Ligorio Episcopi, quem mox Beatorum albo adscribendum gratulamur.

6. Nulla, ut ajunt, dies sine linea decurrere debet. Lectioni quotidie vacet Sacerdos, non multa legens, sed multum, ac perdiligenter animo revolvens quod lectura imbiberit, ut sanctum odorem diu servet, actiobusque diffundat.

7. Horas Canonicas persoluturus quam longissime a tumultu, et clamoribus familiae secedat, quantumque in ipso est, solus agat cum Deo solo, cui serio, et attente perficiendum est sacrificium laudis.

8. Semper Clericis, ac severissime semper mercaturam interdixit Ecclesia. Itaque et nos Canonum observantiam in hoc districte inculcamus. Dolet profecto plurimos in Dioecesi Ecclesiasticos in turpem, et quaestuariam vitam delapsos, negotiatores ita evasisse operosos, ut in Sacerdotio negligentes. Quos profecto, nisi e tam foedis sordibus deprehendemus emersos, gravissima Censura canonum corripiemus. Sed quoniam charitas omnia suffert, sicut docet Apostolus, charitatis impulsu, ubi necessitas accedit, Sacerdotes nolumus laborem, curasque negotiationis defugere. Liceat ergo ipsis, venia prius a nobis impetrata, pro conjunctis absentibus, vel pupillis, vel parente orbatis, licito, et honesto ipsorum praeesse mercimonio.

CAPUT II.

De Ecclesiasticis Viris foras versantibus.

Protracta in medium Sanctuarii Lucerna coram hominibus lucere debet, aliosque a recti semita aberrantes, jamque in praecipitia delatos coelesti illo fulgore exempli, ac doctrinae, eo tandem reducere, quo fuerat eundum. Innocentia ergo morum Clericalium, et sacra doctrina, quae inter domesticos parietes adolevit, nefas tenebris premi, atque occultari cum damno Fidelium. Licet autem Pharisaeorum superbia sit angue pejus devitanda, non tamen publica vita arceantur Sacerdotes: et hoc insuper habent, ministerio urgente peculiaris officii, ut populum exemplo, ac doctrina in melius reducere perpetuo connitantur. Domo igitur exeant; nec se putent loco adfixos, ut sibimet ipsis tantum vivere ostendant. Neque eos reprehendimus, qui singulari ad solitudinem divina vocatione impulsi sunt; sed et Ecclesiasticos laudamus, qui non deserto Christum Dominum sequi tantum volunt, sed non deserunt illum in plateis, in domibus, ac teloniis publicanorum adnunciantem hominibus Regnum Coelorum. Nam profecto si piscatores Animarum Sacerdotes sunt, litora

oportet accedant, ut celebritate confluente piscium, largo fructu laborum onusti redeant, rationesque dominicas locupletissime cumulent.

1. Mos plane immemorabili ab origine hac Dioecesi obtinuit, ut Presbyteri universi quocumque loco, et tempore veste ad talos usque demissa uterentur, qua sane nihil honestius, et gravi homine dignius cogitari potest. Scurrarum enim, atque histrionum sunt decurtatae, et sexcentis coloribus, fimbriis, laciniis instructae vestes, ut nisi bilem, risum saltem jure moveant. Liceat militibus expedito uti vestimento, liceat profana negotia gerentibus, nautis, levibus denique adolescentulis. Christianum Sacerdotem ita leviter indutum procedere nefas est; oculique obviorum, veluti ostentum, refugiunt, atque aversantur. Qui cultûm profanum corporis ostentat, satis videtur adfici profana, ac levi ista saeculi pompa, seriisque animae negotiis vale dixisse. Pèr viscera ergo Christi Domini Ecclesiasticos nostros obtestamur, ne tam laudabilis talaris vestimenti consuetudo in Dioecesi Amalphitana perennans, ullo umquam pacto aboleatur.

2. Quisquis vero in Dioecesi Clericus occurret, Sacerdotalis immemor gravitatis, ac

levitatis profanae sectator, qui vestes non induet imum talum adtingentes, sciat se canonicis omnino poenis fore damnandum.

3. Modesto capillorum cultu ita Sacerdos utatur, ne sordidis, atque horridis offendat. Comatum tamen, cincinnisque per artem compositis prodire, magis dedecet. Illud vero praecipue curae sit, ut clericalis Tonsura, sive corona visui pateat luculenter, saepiusque propterea renovetur, ne succrescentibus, ut fit, capillis pene evanescat. Quare et in his peccantes Archiepiscopali censura se noverint cohibendos.

4. Clericis, et Sacerdotibus omnino omnibus praecipimus, ne colloquantur, neve ambulent, publice vel privatim ne agant cum personis quibuslibet morum perditorum labe, vel infamia notatis; nisi nostro, aut Parochi jussu peculiariter id receperint faciendum, quo ad meliorem illas frugem reducant, et a viis earum pessimis ad salubrem revocent poenitentiam.

5. In cauponis, thermopoliis, tabernis quibuscumque, et locis plebeculae adfluxu celebribus, ubi horae per otium pereunt, nemo ex nostris Ecclesiasticis conspiciatur. Qui deliquerit, semel admonitus nec desistat, Canonici Juris coercitiones incurret.

6. Natationem , aestate plerumque hac nostra regione consuetam , Clericis , et Presbyteris prohibemus , praesertim in locis publicis , et ad Populi adspectum patentibus . Prohibemus pariter loco balnei clausi lotionem , quam populares aperto mari frequentant . Quod si , necessitate urgente , maritima lotio Clericis sit usurpanda , volumus in loco aliquo secretiori ipsos lavare , nec veste prorsus omni rejecta , sed linteis obtecto corpore .

7. Ludos quoscumque Ecclesiasticis interdicimus , nisi quos aliquando humanitas illa suadeat , quam eutrapeliam , sive jucundam comitatem adpellant , nec tamen sine moderatione , neque in publicis locis . Quod si quis non servaverit , nostram utique non effugiet severitatem .

8. Mulieres visere , colere , et per speciem amicitiae , vel clientelae , aliove quovis colore quaesito, saepius adloqui, pestilentia pejus, et veneno Ecclesiasticis vitetur hominibus.

9. Presbyteros hortamur , ne publicis intersint symposiis , aut epulis nuptialibus , conviviisque agrestibus , ubi licentia , et commessatio regnare solent , turpia , et obscoena dici , vel audiri , rixae quandoque , et convicia , vel , si quid pejus , accidere , non sine

praesenti innocentiae damno, vel saltem periculo.

10. Quidquid agant, quidquid loquantur, in veste, in motu corporis, in omnibus denique actionibus, meminerint Ecclesiastici dignitatis suae: gravitatem suavitati mixtam exhibeant Divini Redemptoris exemplo, qui numquam risisse, amicum deflevisse mortuum legitur, sed bonis aeque, ac peccatoribus jucundum, atque hilarem se praebuisse, ut omnes ad se dulcissime traheret vel nolentes. Ergo et oportet Christi Domini Sacerdotio insignes viros ita se habere, ne sint despectui, sed ministerium gravitate sua commendent, dum quamdam tamen immisceant morum elegantiam, et amabilem semper omnibus amoenitatem. Quarum quidem virtutum difficilem sane societatem, facilem tamen reddet lectio, atque imitatio vitae, atque operum Sancti Francisci Salesii Episcopi.

CAPUT III.

De Ecclesiasticis Viris in Aedibus, Rebusque sacris.

Quum Sacrae Aedes *Domus Dei* nomine veniant, heic potissimum Sacerdotes praeferant Populo sanctitatis exemplum. Aulici quippe, ac familiares Principum tum maxime ibi student ipsis fideles et esse, et haberi, ubi proxime adsunt, seque ita componunt, ut toto habitu corporis ostendant quantopere dominos penitissimo corde revereantur. Quos igitur domi praeceptis nostris optimos Sacerdotes formavimus, quos foras egressos ubique comitati sumus, praeceptisque illis admonitos voluimus, ne forte offenderent ad lapidem pedes suos, nunc in ipsum Templum deducimus non sine paterno hortatu, ac monitis, ut digne ibi Deo reddant, quae Dei sunt, obsequium nempe cordis, et linguae, et oblationem purae scelerum conscientiae, seque populo Christiano inspectanti dignos ostendant, qui tangant, et conficiant Corpus Domini, et Domino sacrificent.

1. Volumus ergo, et praecipimus ingressum Ecclesiam, quisquis ille de Clero fuerit, vel quavis hora diei, recta ad Aram tendere,

in qua SS. Eucharistia servatur, ibique in genua provolutum, ipsam adorare, et justo aliquo spatio temporis meditationi, atque adfectibus, denique et precibus vacare.

2. Omnino interdicimus in Sacrario Laicorum accessum, confabulationes, et sermones quoscumque inter Clericos ipsos, nisi sint de negotiis ad sacras res, ritusque pertinentibus; ut altum non interrumpatur silentium, ubi Sacerdotes maximopere illo indigent, quo vel divinis praeparentur mysteriis, vel post haec agant gratias Deo, nec non caeremonias in Ecclesia peragendas diligenter instituant.

3. Quidquid autem Sacerdos aut dicere velit, aut petere in ambitu sacro, quidquid aliis respondere, decet semper id submissa voce facere, quum clamores, et convicia, et strepitus in foro nundinario, et plateis tolerentur, abominatio vere sint, et scandalum in Domo Domini.

4. Quum Ecclesiasticus lintea chlamyde, sive superpelliceo, vel insignibus Canonicalibus, aut veste alia sacra indutus ûtcumque fuerit, caveat omnino, ne tali habitu per Ecclesiam discurrat, vaga mente, et pedibus oculos curiosos huc illuc jaciens, ut ardeliones, atque otiosi solent: quodque pessimum, ac detestandum est, ne extra januam, vel a-

trium Templi ita unquam conspiciatur indutus. Quae sane ubi nobis nunciata fuerint, Canonicarum poenarum severitatem ita sequemur, ut perpetuo sit exemplo.

5. In Cathedrali Basilica, in Ecclesiis Collegialibus, aliisque, ubi choralis obtinet horarum Divinarum recitatio, ad sonitum, ac monitum tintinnabuli congregati Sacerdotes, nulla interjecta mora, gradu composito, demissisque oculis procedant ad chorum, ita ut bini in serie omnes incedant.

6. Abominandum est Canonicum, vel Hebdomadarium chorali habitu indutum extra chorum conspici, eo potissimum tempore, quo collegae in choro divinas laudes persolvunt.

7. Nec minor ille est abusus, quum Sacerdotes choro addicti, dum divina psalmodia recitatur, vel Missa solemnis sive major celebratur, in tribunali audiendis confessionibus destinato illis vacant. Nemo, praeter Poenitentiarius, fructus suos faciet, qui horae deest, ut confessiones excipiat.

8. Deputatis ad puncta notanda enixe mandamus, ut Canonicos chori tempore confessione occupatos puncto denotent. Si secus fecerint, onus propriae conscientiae pro transgressoribus subeant.

9. Deputati iidem ad puncta summa vigilantia, ac diligentia, atque amoto omni partium studio, puncta denotent juxta Canones, et regulas Capitulares; si quid omiserint, vel admiserint, sciant semet ipsos ad restituendos fructus teneri.

10. In Capitularibus deliberationibus Canonici meminerint honestatis, quae viros decet Ecclesiasticos, et coetus locum, qui sacer est, et conjunctus Ecclesiae. Dum ergo negotia agitant, ne vocem tollant, ne verbo vel minimo collegas laedant, seniores revereantur, Dignitates colant obsequio; singulatim sententias dicant post alium ordine alius. Nisi caverint, rebus ad scientiam nostram delatis, non impunes abire qui deliquerint sinemus.

11. Divini officii choralis recitatio, Missarum praesertim solemnium celebratio, et caeremonia quaevis Ecclesiastica quanta poterit maxima gravitate, ac majestate absolvantur. Nimia, ut in re molesta, celeritas, mentis evagatio, culpae liturgicae, peccata sunt a Deo, et Ecclesia severissime punienda.

12. Perperam agunt, notandique etiam sunt, qui seorsim quisque in choro sibi recitant lectiones, orationes, antiphonas, dum

illa ipsa ab Hebdomadariis, vel ab aliis in hoc destinatis decantantur.

13. Inepta quoque officiositas in choro vitanda est, ut quum sibi mutuo collegae Nicotiani pulveris, sive tabaci copiam faciunt.

14. Quum non canitur, sed lectione recitatur Psalmodia, par est voces esse consonas, minime vero abnormes, et absurdas. Reprehensione porro dignissimum est, quod toties reprehendimus, et nunc in virtute sanctae obedientiae prohibemus, falsas voculas Ciceroni vel ethnico irrisas fingere, ac deformi conatu ita modulari, ut a caeteris concinentibus, vel acumine, vel gravitate discrepent.

15. Censura quoque notamus abusum non ferendum, quo alicubi horarum Sextae, et Nonae recitatio post Missam majorem conventualem inchoatur, dum Sacerdos celebrans ultimum adhuc Evangelium legit. Iubemus horae Sextae praecentionem nullo pacto iniri, nisi postquam choro exierit, qui Missam conventualem celebravit.

Januarius Canonicus Casabona a Secretis

S. SYNODI ECCLESIAE AMALPHITANAE

SESSIO UNICA.

PARS SECUNDA

DE SACRAMENTIS.

CAPUT I.

De Sacramentis generatim.

Sacramenta a Christo Domino instituta, quibus novum foedus inter Deum, hominesque confirmatur, per quae, ut definiunt Patres Tridentini, omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur (Sess. 7 de Sacr. can. I.) par est corporis, et conscientiae munditia summa administrari. Etsi enim ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis ministris eorum salubris effectus intercipi, impure tamen, atque indigne ministrantes in aetenae mortis damnationem incurrunt (Ritual. Rom. de Sacram. administ. §. Quamobrem). Accedat ergo Minister tanti periculi metu contremiscens ad conficienda Sacramenta, materiam quam aptissimam deligat, formam diserte pronunciet, S.

Romanae Ecclesiae ritus adhibeat, minimas quoque, et levissimas culpas caute devitans, et in omnibus opinionibus hac de re, tutiores, ac probabiliores omnino sequatur. Expedit quoque ut monitum Domini nostri non obliviscatur, *quod gratis accepit*, *gratis dandum esse*, ne avaritiae nota per profanos regalis Sacerdotii majestas inuratur. Licet enim non prohibeatur Minister, gratis peracta administratione Sacramenti, si quid ultro, ac sponte offeratur, accipere eleemosynae titulo; attamen si renuat, majorem certe laudem, et praemium in Domino merebitur. Sedulo etiam curet Minister, ut qui ad Sacramenta accedit suscipienda modestiam, ac pietatem praeseferat, nec vultu, aut cultu ostendat animum a mundo, carne, diabolo, et pompis ejus minime alienum. Quid de viris dicas, qui baculum, ensem, aut arma quaelibet non deponunt quum ad Paenitentiae Sacramentum, et alia veniunt? Nonne hoc adparatu Saulum esse judicemus, quem Paullum esse oportet? Quid de feminis quoque dicas ornatu impudentissimo accedentibus? Nonne et has Ecclesia opinabimur ejiciendas, atque ad lustra amandandas? Atque haec generatim satis habuimus admonere de Sacramentis; nunc de ipsorum unoquoque, quae magis opportuna visa sunt, constituemus.

CAPUT II.

De Baptismo.

1. Baptisterium, Fons, Aqua, et supellex universa administrationi Baptismatis destinata, perquam nitidissima sint oportet, immo, si fieri potest, nobilissima, et sumptuosa, cum in rebus ad Religionem pertinentibus magnificentia laudanda sit. Primis quidem Ecclesiae temporibus majorum nostrorum paupertas, atque simplicitas a luxu abhorruit, nec tamen in sordes delapsa est.

2. Parochi, et omnes peculiari officio animarum salutem gerentes, populum, et subjectos sibi fideles edoceant, quanta veneratione prosequi quisque debeat locum illum, ubi Gratiam Domini Nostri Jesu Christi primum adeptus est.

3. Oleum sacrum Chrismatis, et Cathecumenorum, prout aliud infirmorum politissimis vasculis, et decenti loco serventur.

4. Acriter plectendi sunt ex Parochis, qui in Fontis benedictione, quae Sabbato Sancto Paschae Resurrectionis rite peragitur, novo oleo per negligentiam non utitur, hoc est per Benedictionem recentem dedicato.

5. Ecclesiae nostrae Cathedralis Aedituo interdicimus, ac prohibemus Oleum de recenti benedictum aliis tradere, quam Sacerdoti, aut Clerico in sacris constituto. Si praeceptum spreverit, poena adficietur.

6. Quum Parochus ad baptizandum procedit, si adesse videat fideles in Ecclesia, brevi concione nunc unam, nunc aliam partem explicet Ecclesiae rituum baptismalium. Praecepit hoc etiam de Sacramentis universis Concilium Oecumenicum Tridentinum Sess. 22 de Sacrif. Miss. Cap. 5.» Praecipit Sancta Synodus Episcopis omnibus, » ut non solum cum haec (Sacramenta) per » se ipsos erunt populo ministranda, prius » illorum vim, et usum pro suscipientium » captu explicent, sed etiam idem a singu- » lis Parochis pie, prudenterque . . . servari » studeant.

7. Abusus est, pessimoque exemplo per totam Dioecesin mos prorepere incoepit, non a Parocho, qui proprius est Pastor, sed a quovis obvio Sacerdote conferri Baptismum: idque nos vetamus omnino, nisi legitimo impedimento Parochus ab administratione arceatur.

8. Nusquam, nisi in Ecclesia, excepta necessitate aegrotantium, Sacramenta fas esse conferri statuit can. XIX. X. de Consecr.

dist. I. et probat. s. m. Benedictus XIV in Notif. 34. n. II. Iustis vero de caussis indulget hoc Praesul petentibus, ut domi Sacramenta suscipiant, vel ministrari faciant. *Justae illae caussae*, *et graves* perraro occurrunt. Procax, et importunus ergo est, qui ab Episcopo extorquere adnititur permissum hujusmodi canonica sanctione veluti arctissimis cancellis definitum. Qui ergo petunt inter domesticas parietes baptismo infantes tingi, non solum se se ostendunt Ecclesiasticis legibus, et moribus adversos, sed et vana superbia inflatos, dum civibus reliquis, et fratribus in Christo suis privilegio quodam superesse conantur. Officialibus Curiae severissime injungimus, ne in posterum hac parte supini sint, atque negligentes, neve supplicum preces excipiant, dum noscunt a concessione privilegii nos quam maxime esse alienos. Parochos etiam hortamur, ut universis, ac familiis praecipue locupletioribus, ac nobilibus prudenter insinuent, ne de caetero permissus hujusmodi postulare praesumant.

9. Mos invaluit omnino reprobandus, ut paene cuilibet Baptismo Sacerdos intersit aliquis, et susceptoris, sive patrini munere fungatur. Neque hoc deinceps fieri volumus, et in rarissimis aliquando casibus, cognitio-

ne rei peracta, permissionem nostram in scriptis Parocho exhibendam esse mandamus.

10. Diem festum Parochi statuant, isque videtur intra Pentecosten proponendus, quo publice, et magnifica Sacrorum pompa de accepto Baptismo Fideles quotannis Domino gratias agant, nec non votorum Baptismalium renovationem celebrent. Licet enim quotidie vota illa expediat omnibus renovari, attamen, semel saltem in anno, vel a negligentioribus, et rudibus instaurari, et festa laetitia repeti necesse est. Quid enim publico gaudio, et sancta exultatione dignius, quam quod ab ergastulo diaboli in domum Domini transivimus, et inter ejus filios numeramur?

CAPUT III.

De Confirmatione.

1. Parochi populum, adultos, parentes hortentur ad susceptionem Chrismatis. A nemine praetermitti debet hoc Sacramentum, licet ejusmodi necessitatem non habeat, ut sine eo salvus quis esse non possit. Quare Benedictus XIV const. *Et si pastoralis* 26 Maji 1742 §. 3, n. 4, declaravit » fideles gravis peccati reatu te» neri, si quum possint ad Confirmationem

» accedere, illam renuunt, ac negligunt. »

2. Debent Parochi, pauperes, ac mendicos praesertim Christiana charitate amplecti, et ad Chrisma suscipiendum parare. Immo in sancta Visitatione primi omnium ex populo ad Sacramentum pauperes, et mendici coram Archiepiscopo sistantur.

3. Neque omnino Parochi sinant peccatores publicos aut ad Chrisma accedere, aut patrinos adesse.

4. Errant qui putant in celebratione Confirmationis a Parocho nomen solum confirmandi chartulae inscribendum esse, et ejus Patrini. Debet omnino testari Parochus confirmandum poenitentiae Sacramento mox ablutum fuisse, paratumque esse, et instructum ad Chrisma suscipiendum.

5. Confirmatio a Nobis ministrabitur non solum publice, et solemni ritu in diebus per Edictum statuendis, aut sanctae Visitationis tempore, vel quoque extra ipsum, sed et privatim perpetuo ad hoc paratos nos esse denunciamus, et in Archiepiscopii nostri Sacello, quotiescumque requiremur, Chrismati impartiendo vacabimus.

6. Sive autem publice, sive privatim administranda erit Confirmatio, matutinis semper horis hoc fiet, numquam pomeridianis.

7. Quum per transactum decennium, malis profecto, et iniquis temporibus promiscue Chrisma administraverimus et adultis, et pueris; ita nunc et in posterum mandamus, ne Chrismati recipiendo infantes offerantur, sed qui septimum saltem aetatis annum compleverint.

CAPUT IV.

De Eucharistia.

1. Verbis profecto nullis exprimi unquam poterit quanto nitore, ac munditie expoliri, atque servari locus debeat, in quo Sanctissima Eucharistia custoditur. Parochos, et Aedituos perquam serio admonitos volumus, in sancta Nos Visitatione poenis Canonicis sine ulla prorsus indulgentia locum esse daturos, ubi viderimus Altare, et Sacellum SS. Eucharistiae custodiendae dicatum per eorum negligentiam sordibus, maculis, pulvere, vel aliter deformari.

2. Magna diligentia curandum, ut Ciborium sub clavi, et sera tutum servetur, et clausum, neque clavis ipsa exposita jaceat.

3. Particulae consecratae, et magna hostia pro solemni expositione octiduo quolibet renoventur.

4. Non levis est abusus argenteam sphaeram, salutari hostia non ablata, in tabernaculum reponi. Est enim haec servanda separatim inserta argentea lunula deaurata, vel in simili arcula adfabre elaborata, vel saltem in pyxide consueta.

5. Praeter pyxidem, et arculam SS. Eucharistiam continentes nihil aliud in tabernaculi custodiam inducatur. Qui legem violaverit, severissime punietur.

6. Volumus unam saltem lampadem perpetuo ardentem haberi coram Sacramento Augustissimo. Neque abibit impunis eorum negligentia, qui lumen extinctum non reficiunt, praesertim postquam clausa est Ecclesiae janua.

7. Deflenda est Ecclesiasticorum, et Saecularium hominum socordia, ac paene dicam impietas, qui Ecclesiam ingressi, aut inde egredientes, Altare Eucharisticum transmittunt, ac si in foro occurrat aliquid minime ad ipsos pertinens, quum vocante ex cancellis Domino, debeant omnes alacriter adcurrere, genibus flecti, adorare praesentem Deum, ambire precibus, amore complecti. Quid porro de illis dicemus, qui per Ecclesiam ut canes discurrunt, et altare praetereunt, nec flectunt saltem genua? Quantulum in flexione hac temporis impenditur? Sed quantum in omittenda scelus admit-

titur! Necesse est Parochos, et Confessarios, immo Presbyteros, et Clericos universos populum exemplo, et perpetuis hortationibus docere, ut quantum possunt, debitum Christo Domino nostro latriae cultum exhibeant; eos vero, qui non exhibent, prudenter corripiant.

8. In quadraginta horarum expositionibus, ne vel puncto quidem temporis adoratoribus destituenda est Sanctissima Eucharistia; idque in horis praecipue post meridiem decurrentibus perdiligenter advertatur.

9. Doceant Parochi Populum, nemine prorsus excepto, ut Hymnum *Pange lingua* et memoria teneat, et canat, et penitus intelligat. Quum vero salutaris hostia, vel publica triumphali pompa, vel ad infirmos defertur, Clerus, et populus vicissim Hymnum decantet, strophen scilicet alteram Clerus Augustissimum Sacramentum praecedens, alteram deinde populus, qui subsequitur. Absoluto autem Hymno rursus ab initio ipsum recantari alterna, ut diximus, vice oportet, quousque pompa processerit.

10. Laudanda maxime est Ecclesiarum Romanae Urbis consuetudo, quam et nos per Ecclesias nostras diffundi curavimus, nihil omnino dici, aut cantari, dum Sacerdos elato SS. Sacramento populum benedictione im-

pertit. Expedit enim tunc temporis, eos qui adsunt Christifideles demissis oculis in humillimae adorationis habitum compositos, alto ubique silentio, id unum intimo corde satagere, ut fidei, et charitatis beatos in semetipsis igniculos excitent, et in timore, ac tremore Benedictionem Divinam recipiant.

11. Indulgentias peccatorum a summis identidem Pontificibus iis concessas, qui visitant, vel sequuntur SS. Sacramentum in processionibus, et quum ad infirmos pro viatico defertur, Parochi commemorent quam saepissime, nemo ut ignoret fontes, thesaurosque Divinae Gratiae, magisque ad solemnem cultum Catholicum SS. Eucharistiae adliciatur.

12. Quum populus Viaticum comitatur, domum infirmi non ingrediatur, sed extra illam maneat, flexis tamen genibus, Litanias Beatissimae Virginis pro infirmo canens, et orationi vacans.

13. Et retinemus, et laudamus, immo a Parochis, Confessariis, et sacris Oratoribus inculcari praecipimus consuetudinem Archidioeceseos nostrae, qualibet quinta feria ad horam noctis primam commemorandi institutionem SS. Sacramenti Eucharistici per campani aeris festivum sonitum, per faces fenestris, et portis elatas, et pias preces in qua-

libet familia ritu, ac more Visitantium, et gratulantium pro ineffabili hoc beneficio in genus humanum collato.

14. Volumus insuper, ut quemadmodum in Cathedrali Ecclesia mos viget laude omni dignissimus, ita idem Parochorum assidua cura, et vigilantia in caeteras omnes Paroecias propagetur, ut generalis Fidelium communio semel in mense quolibet, nec non in diebus festis praecipuis celebretur. Immensum sane fructum ex hoc sanctissimo symposio populis pollicemur, eoque ad primaevae Ecclesiae beata tempora paullatim redire videbuntur.

15. In ipsis vero generalibus communionibus aut Parochus, aut de ejus mandato Presbyter alius dignior, et senior, lintea chlamyde, sive superpelliceo, stolaque indutus ad altare adstans Fideles ad Synaxin accedentes praeeat in affectionibus erga Jesum Christum eliciendis amoris, timoris, et sanctae spei, nec non in gratiarum actione.

16. In prima concedenda pueris communione plerumque erratur; nesciunt hi saepe quid faciunt. Postquam ergo puer ad mensam Domini recipiendus magna diligentia fuerit necessaria ad rem edoctus, octo saltem continuis diebus in spirituali secessu ad tanta se paret mysteria. Puerorum autem primae com-

muniones in festis diebus celebrioribus absolvantur, inter Parochialis Missae solemnia, et summa, quanta poterit, pompa.

17. Toleratur abusus, sed abusus est, extra Missae celebrationem Fideles ad Synaxin admitti. Hortamur omnes in Domino, et toto corde obtestamur, ut abusum tollant, vel saltem ita minuant, ut sensim deleatur, atque e medio tollatur.

CAPUT V.

De Altaris Sacrificio.

Postquam Eucharistiam veluti Sacramentum contemplati sumus, restat, ut eandem sub Sacrificii ratione consideremus. Quo sane adspectu immensa ejus dignitas ita elucet, ut verbis eam complecti nemo possit. Nam si quae se obtulit hostia in ara Crucis, eadem ipsa est, quae nunc offertur Sacerdotali ministerio (Concil. Trid. sess. 22. c. 2.) non utique in Missa repraesentationem habemus, sed continuationem sacrificii in Cruce a Domino consummati. Atque hinc Sacerdos potissime haurit nominis, et officii dignitatem, qui victimam solus immolat; hinc Ecclesia, et Fideles accipiunt unitatem, dum Christo

conjuncti sese cum ipso offerunt per Sacerdotis manus in holocaustum Altissimo. Quo ergo pacto reddent pares pro meritis gratias? Saltem sese gratum Sacerdos in hoc ostendat, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis puritate, atque exteriori devotione Missae peragat Sacrificium, Sancto Concilio Tridentino jubente, atque enixissime hortante (Sess. 22. Decr. de observ., et vitand. in Sacrif. Missae). Solari, inquit Chrysostomus, homil. 60, solari inquam radio splendidior sit oportet manus illa, quae ad corpus, et sanguinem Domini admovetur, os, quod igne spirituali repletur, lingua, quae tremendo Christi sanguine inebriatur. Nolit Sacerdos iram sibi, atque indignationem petere, unde gratiarum thesauri quaerendi fuissent (Rom. II. 5.). Adeat cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequatur, et gratiam inveniat in tempore opportuno, sibi non minus, qnam populo Christiano (Hebr. IV. 16.). Sed et cogitet Sacerdos non solum se verum reipsa incruentum Sacrificium patrare, atque cruentum illud Crucis continuare; sed Christi etiam ipsius personam repraesentare, dum ipsius conficit, et offert corpus, et sanguinem. Hinc aestimare poterit quanta opus munditie sit mentis, et corporis, quanta diligen-

tia, religione, pietate, dum ad aram procedit.

1. Nemo ergo audeat, licet corde omnino purus, atque integer, corpore illoto, horrido, ac neglecto ad Missam celebrandam egredi, puta manibus, vultu, aut vestibus foedis, ac sordidis.

2. Nulli omnino Sacerdoti liceat, sive is ad Dioecesim pertineat, sive sit externus, sine veste talari cum manicis, ac tonsura Clericali ad celebrationem Missae progredi. Qui ex Parochis, Aedituis, Sacerdotibusve Ecclesiae id permiserint, acriter punientur.

3. Preces autem praeparationis, aut gratiarum actionis, quae in tabula descriptae in cunctis debent Sacrariis proponi, a quocumque Presbytero omnino ante, et post Missam recitentur, quam potest maximo cordis adfectu, et animo in id unice collecto, atque defixo. Quare et risus, et colloquia, et otiosa curiositas eum ibi magnopere dedecent, qui vel Missam celebravit, vel modo est celebraturus.

4. Sacerdotes alienae Dioeceseos in Ecclesiis Dioeceseos nostrae Missam celebrare sine nostra, aut Vicarii nostri Generalis concessione non audeant. Qui autem ex proximis Dioecesibus paene quotidie adveniunt, et celebrant vel in hujus Amalphitanae Urbis

Ecclesiis, vel in aliis Archidioeceseos, permissum nostrum in scriptis obtinere non omittant, sexto quoque mense omnino renovandum.

5. Missae celebrentur ad mentem benefactorum in Ecclesiis, et altaribus ipsis, quae benefactores diserte designarunt.

6. Tabellae Missarum, et quorumcumque legatorum ad pias caussas ad Ecclesias pertinentium de novo fiant, et proponantur in Sacrariis omnibus. Has vero Tabellas volumus prius Nobis exhiberi, ac deinde etiam quoties ad sanctam in quaque Ecclesia Visitationem procedemus, ut nostra subscriptione muniantur.

7. Eadem porro lex respicit etiam debita Missarum, quae Capitulis Cathedralis, et Collegiorum imposita sunt.

8. In Sacrario quoque omnium Ecclesiarum prostet expositus liber, in quo Sacerdos quilibet manu sua nomen proprium adscribat post celebrationem, sub titulo sive rubrica legati, et oneris, pro quo fuerit celebratio persoluta.

9. In Ecclesiis clausarum Christi Virginum nemo audeat Missam celebrare, aut sacram aliam quamcumque perficere coeremo-

niam, sine scripta concessione nostra, aut Generalis Vicarii nostri.

10. Nemo ante auroram, vel post meridiem Sacrificium celebret. Qui obtinuit, vel in posterum de hoc privilegium a S. Sede obtinebit, sine adprobatione nostra illo uti non praesumat, quam quidem in scriptis dabimus anni tantum spatio duraturam, quo effluxo poterit nova subscriptione prorogari.

11. Hora Parochialis Missae in festis diebus arbitraria non est, sed debet illa potissimum a Parocho statui, quae ad Populi conventum, et frequentiam maxime videbitur opportuna. Tribus autem horae quadrantibus, qui Missam praecedunt, ter curet (scilicet semel in quadrante quolibet) signum dari per campanae sonitum.

12. Omnino abusum tolli jubemus, et numquam permittatur in posterum, ut in eadem Ecclesia alius Sacerdos ad celebrandum prodeat, vel dum festis diebus Parochus Missam persolvit Parochialem, vel dum in Ecclesia, sive Collegiata, sive alia demum quacumque solemnis Missa canitur in diebus festis, sub quocumque praecepto.

13. Vetustissimus mos Ecclesiae Christianae Catholicae viget etiam non sine laudis merito in Archidioecesi nostra, ut viri nem-

pe a feminis in Templo segregentur; quem plane morem probantes volumus a Parochis, et Rectoribus Ecclesiarum servari, ac diligentius inculcari.

14. Omnem operam, studiumque adhibeant Parochi ad Populi excitandam modestiam, venerationem, ac silentium, quo decet semper in Ecclesia uti, praesertim dum sacra peraguntur.

15. Iidem Parochi, et Rectores laicos cujuscumque sexus, et conditionis inducant, exceptis morbo, aut aetate debilibus, ut sacris adsint genibus flexis. Adsuescant quoque illos ad surgendum, atque standum per tempus omne, quo leguntur, vel canuntur Sancta Evangelia, praesto se esse significantes ad proelium adversus Christi, et Fidei sanctissimae perduelles.

CAPUT VI.

De Poenitentia.

1. Synodalia statuta b. m. decessoris nostri Archiepiscopi ad hoc Sacramentum pertinentia (pag. 80 et seq.) renovantes, atque confirmantes, has insuper nunc leges nostras adjicimus.

2. Articulum 5 cap. IV antedictae Synodi ita volumus intelligi, atque observari, ut omnino interdictum, prohibitumque sit mulierum Confessiones, extra necessitatis casum, excipi in qualibet Ecclesia ante solis ortum, et post meridiem, magisque autem post prandium.

3. Ad art. 3. adjicimus omnino omnes ad Confessiones audiendas rite adprobatos, exceptis tantum Vicario nostro Generali, Poenitentiario Cathedralis Ecclesiae, et Parochis, teneri ad obtinendam concessionis, quam vocant, *pagellam* nostra manu subscriptam, et quolibet semestri a Nobis, vel laudato Generali Vicario prorogatam. Qui vero illam impetrare neglexerit, vel sexto labente mense prorogari non curaverit, suspensum se esse sciat a facultate Confessionum excipiendarum, post dies quindecim ab illo numerandos, in quo praecedentis pagellae concessio per semestris lapsum cessavit.

4. Vitent Confessarii morem scandalo, ac detestatione omnium infamem, et a Bened. XIV damnatum (Constit. Ad eradicandum) sciscitandi a poenitentibus nomen socii, vel complicis in peccato. Si quis autem suasu diaboli tanto in posterum crimine obstringi vo-

luerit, ipso facto suspensum se noverit a facultate confessionum audiendarum.

5. Amicitiam, jocos, colloquia, clientelam cum poenitentibus mulieribus Confessarii prorsus sibimet interdicant, neque ad ipsas visendas quovis colore accedere praesumant.

6. Caveant quoque, ne mulieres ipsas ante sacrum Poenitentiae Tribunal quocumque sermone detineant, neve sibi manus osculari permittant.

7. Dum Confessionibus excipiendis vacant in sede ad hoc destinata, chlamyde lintea, sive superpelliceo induti sint, injecta stola violacei coloris. Hanc vero stolam a poenitentibus utriusque sexus osculo tangi permittimus.

8. Venit quidem Dominus in hunc Mundum non ut justos vocaret, sed peccatores. (Matth. IX. 13.) Quare a Patribus Ecclesiae docemur » melius esse propter misericor» diam rationem reddere, quam propter cru» delitatem, nec ubi paterfamilias largus est, » dispensatorem esse debere tenacem » (Auct. op. imperf. Hom. 43 in Matth.). Quum tamen claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessae sint, (Syn. Trid. de Poen. Sess. XIV cap. 8.) nunc severum, nunc mitem Confessarium pro-

re nata esse decet, summaque usum prudentia, nec solvere quae liganda sunt; nec quae solvenda ligare. Ergo consuetudine peccandi detentos, qui in culpas recidunt, qui mysteria Sanctae Fidei prorsus ignorant, qui in proxima peccandi occasione versantur, minime absolvi oportet, nisi a culpa, et ignorantia emerserint, neque id promissione, aut conjectura, sed re vera, factorumque documento luculenter ostendant.

9. Confessarii summopere adnitantur, ut poenitentes gravitatem peccatorum animo concipiant, ac praesertim pro his, quae *reservata* dicuntur maximum horrorem incutere satagant. Postquam vero emendatos, vere contritos, paratosque ad veniam deprehenderint, eos ad Poenitentiarium remittant absolvendos.

10. Reprehendi ergo meretur quorumdam Confessariorum importunitas, neque omnino ferenda est, ubi facultatem sibi perpetuam, et generalem rogant in reservatis casibus poenitentes absolvendi.

11. Non nisi perraro facultates hujusmodi concedemus, nec nisi speciatim, quum casus quisque reservatus obvenerit.

12. Iam vero quod ebriosos attinet, sive ex consuetudine ebrios, animadverti oportet, consuevisse rusticos nostros plerumque

in cauponis, et horreis vinariis paucorum quemque obolorum conferre symbolam, vini amphoram emere, ac deinde inter se vel sorte, vel digitis micantibus decernere, quis ex amphora illa poculum sumat. Presbyteri quidam ex Clero nostro periculum ebrietatis in hoc ludo esse opinabantur, casumque esse reservatis adcensendum. Nos vero semper hanc opinionem rejecimus, neque suadere umquam potuimus per se in ludo hujusmodi esse periculum ebrietatis ex consuetudine, non ipsam ebrietatem, cujus tantum reservatio casus imponitur. Volumus ergo, atque decernimus in posterum, disputationibus, ac dubietatibus amputatis, non alios reservatione casus obstringi, quam qui ex consuetudine vinolenti, atque ebriosi sunt.

CAPUT VII.

CASUS RESERVATI.

En itaque geminae hujusce nostrae Archidioeceseos casuum reservatorum tabulae.

CASUUM RESERVATORUM CUM CENSURA

TAB. I.

I. Blasphemantes Deum, ac Beatam Virginem, modo blasphemia sit haereticalis, ex animo deliberato, et coram pluribus, quam tribus personis.

II. Superstitiones, veneficia, incantationes cum expressa Doemonum invocatione, aut Sacramentorum, Sacramentalium, vel alterius rei sacrae abusu.

III. Coeuntes, aut quomodolibet se voluntarie polluentes in Ecclesiis, Coemeteriis, aut sacris aliis locis.

IV. Vim quomodolibet inferentes intra Ecclesias, vel Palatium Archiepiscopale, et alia loca Ecclesiae conjuncta, quae locali gaudent immunitate.

V. Allocutio cum Monialibus, vel quibuscumque aliis intra Claustra degentibus, si-

ne Nostra, vel Deputatorum licentia, et adlocutio ad malum finem, vel de rebus obsoenis (etiam si alias habeatur loquendi facultas) ac etiam per intermediam personam, et litterarum ad eas obscoenarum missionem.

CASUUM RESERVATORUM ABSQUE CENSURA

TAB. II.

I. Falsum in judicio ad damnum tertii deponentes, et scripturas falsantes, vel eis aliquo modo utentes, sive aliquem ad falsum deponendum, vel falsificandum inducentes.

II. Concubinatus publici, sodomia, bestialitas, incestus in primo, vel secundo consanguinitatis, aut affinitatis gradu, et cognationis spiritualis, in quibus masculi tantum comprehendantur; sed in primo consanguinitatis gradu, etiam mulieres: stupra violenta, et raptus quicumque.

III. Homicidium voluntarium, et mutilatio, vel de talibus mandatum, auxilium, vel consilium efficax.

IV. Parentes quomodocumque verberantes.

V. Frequentantes domum sponsae post contracta sponsalia, cum scandalo, et admira-

tione vicinorum, nec non parentes eandem frequentiam post tertiam vicem permittentes.

VI. Brevium armorum gestatio quoad Clericos tantum; et quoad eosdem, aleae ludus nuncupatus *d'Invito*, *di Resta*, *di Bassetta*, *ec.*

VII. Praecepti annuae Communionis neglecta satisfactio.

VIII. Concubinatus post solum cohabitationis mensem, et post tertium sine cohabitatione.

IX. Usura cujusvis generis.

X. Mensurarum, et ponderum falsitas.

XI. Librorum legitime proscriptorum lectio, et detentio.

XII. Vinolenti, et Ebriosi ex prava consuetudine, juxta declarationem superioris § 12.

CAPUT VIII.

De Extrema Unctione.

1. Quae de hoc Sacramento praecepit Illust. et Reverendissimus Puoti Archiepiscopus decessor noster felicis, et colendae memoriae, omnia nos rursus praecepta per hanc sanctam Synodum, et in usum volumus revocata.

2. Parochus , ubi erit opportunitas , antequam Sacramentum hoc administret, breviter infirmum , et adstantes ea doceat, quae habentur in Catechismo sacri Tridentini Concilii , sive Romano, de pietate, ac parato ad suscipiendum ipsum animo , ac de miris ejus effectibus .

3. Neque omittat rogare adstantes, ut secum preces pro infirmo fundant , quo sancta unctio evadat animae prius, deinde etiam corpori salutaris .

CAPUT IX.

De Ordine Sacro .

1. Omnia etiam hac de re in laudata Synodo Illustrissimi, et Reverendissimi Puoti Archiepiscopi sancita confirmamus , et in usu esse volumus , atque decernimus .

2. Seminarium Clericorum , Tridentini Concilii sapientissimo jussu , paene omnes habent Episcopi. Quae sane institutio ingentes fructus peperit Ecclesiae. Eos enim , qui ad sortem Domini vocantur vel a primis pueritiae annis religione , atque literis imbui , bonisque moribus adsuefieri oportet. In parvis autem vicis , et agris licet ingenia ef-

florescant, praeceptores desunt, morumque effraenis regnat ubique licentia. Atque in Urbibus ipsis celebrioribus mala exempla increbescunt, molle otium, ac luxuria obtinet: nec rari sunt in civitate inciviles, in urbe agrestes, quod parentum socordia educationem ubique negligat liberorum. Parochi ergo, si quos viderint clericalem vitam optantes, vivido ingenio, atque innocentia vitae conspicuos, in Dioecesanum Seminarium a primis unguiculis transmittendos curent, optimosque ita tirones Christi sacrae militiae conscribant. Quo quidem in Sodalitio et sanctimonia, et omnigenis literis, praesertim sacris, adolescentes coluntur, abstinentiam, et elegantiam vitae condiscunt, bona invicem aemulatione ad bonum tendunt, a strepitu, a pompis, a periculis omnino semoti, nihil ut sit vel ipsis tali institutione utilius, ac jucundius, vel Christi Ecclesiae. Ab hoc tandem plantario in campum dominicum traducti, in cedros Libani quandoque adsurgunt, quas *Dei* quoque *cedros* Biblia nuncupant, floresque, et fructus uberrimos promunt.

3. Atque ut Clerici Seminario quamplurimi instituantur, declaramus, in sacra Ordinum collatione praecipue nos eorum rationem habituros esse, qui nomen illi dederunt,

prudentique indulgentia esse fovendos justitia suggerit, quod paene certa sit spes profecturum non mediocrium in ipso Ordinum stadio percurrendo, si Seminario claudantur. Contra, qui hoc spreverint, et haerere maluerint in male tuta oppidi, propriaeque domus educatione, sciant sibi severiora examina in literis, ac moribus esse subeunda, tum quod ultro meliora neglexerint, tum etiam quum in saeculi strepitu versantes non facile fuerit ipsos per fervorem aetatis undique sartam tectam servasse morum innocentiam, vel operam, quo par est, studio dedisse disciplinis.

4. Adolescentes Seminarii, qui publicum specimen studiorum exhibuerint, doctorumque hominum laudes meruerint, in ordinatione proxima examinis periculo solventur, quippe qui laborum, ac vigiliarum suarum praemio digni sint, exemplo aliis praelucentes. Qui vero extra Seminarium degunt, terno saltem exhibito hujusmodi publico studiorum specimine, ad praemium superius propositum admittentur.

5. Pro prima Tonsura examen erit in Grammaticae Latinae rudimentis.

Pro Ordinibus minoribus in Linguae elegantioris usu, Praeceptis Rethoricis, atque Poeticis, nec non arte Logico-Critica.

Pro Subdiaconatu per universae Philosophiae ambitum examini subjicietur candidatus: nempe interrogabitur de Geometria, Arithmetica, de rebus Metaphysicis, Physicis, atque Ethicis, praesertim de Computo Ecclesiastico, quae tractatio veluti Astronomiae mantissa a praeceptoribus Clericorum debet adjungi.

Pro Diaconatu exhibeant juvenes Tractatum de Locis Theologicis, de Deo uno, et Trino, ac de Incarnatione. Historiae quoque Ecclesiasticae elementa callere debent.

Pro Presbyteratu exponendi sunt reliqui Theologiae Dogmaticae Tractatus, nec non Moralis Theologiae Synopsis, juxta Institutiones, quas cl. Aloysius Vincentius Cassittus Regius Antecessor pro Neapolitana Universitate posterioribus curis adornavit. Selectis enim, solidisque rebus ita abundat, ut nihil superfluat, nihil desit: lucido, brevique ordine suis locis omnia aptata, ac disposita sunt, spinae, atque herbae inutiles evulsae, sectarum, et opinionum monstra procul habita; denique his praesertim Theologicis Institutionibus locum dedimus, quod et aliis Dioecesibus Collegae nostri non sine maximo juventutis fructu non aliis utantur.

CAPUT X.

De Matrimonio.

1. Quidquid in s. m. Archiepiscopi Puoti Synodo continetur super magno, et honorabili hoc Sacramento, confirmamus, et in usum reducimus.

2. Quae civiles Matrimonii obligationes respiciunt, Rex noster Augustissimus, quem Deus protegat semper, et sospitet, Sanctae Catholicae Ecclesiae Romanae obsequentissimus Filius, legibus suis, ut videbitur, sanciet. In his ergo omnibus, quae definientur, utrique Potestati, in suis cuique limitibus, obsequi gloriabimur.

CAPUT XI.

Decretum pro Conclusione S. Synodi.

Atque haec sunt, quae in prima hac nostra Dioecesana Synodo ad majorem Dei gloriam, suaeque Ecclesiae utilitatem decernenda, et constituenda esse putavimus. Adligare onera gravia, atque importabilia noluimus (Matth. XXIII. 4.). Quisque per se videt quam paucis legibus, quam simplicibus

contenti simus; neque illas arbitrio tulimus, sed rerum usu edocti, et Pontificum jussionibus, sacro Canonum Iure, Sanctisque Patribus consultis, quae ad rem facere videbantur, constitutione firmavimus. Speramus ergo in Domino laetari omnes, lubentique animo suave jugum subituros. Quumque nihil leges sine moribus proficiant, vanaeque evadant, speramus quoque, et in votis habemus, paullatim has leges in morum disciplinam, et consuetudinem ita discessuras, ut nunquam serie annorum innumerabili aboleantur. Nullas autem certas decrevimus poenas his, qui leges violaverint irrogandas, sed omnes, praeter suspensionem in cap. de Poenitentia, ex Canonum sententia puniendos reservavimus. Quod eo potissimum fecimus consilio, ut salutarem severitatem pro admissi modo intendamus; quum in rerum exordio nimia laxitas, atque indulgentia disciplinam corrumpat. Quum vero temporum vices, et circumstantiae saepe requirant legibus veteribus aliquid derogari, saepe et integras abrogari, licere declaramus et nobis, et successoribus nostris ea vel demere, vel addere, vel mutare in Constitutionibus Synodalibus, quae pastoralis prudentia, ac sollicitudo requiret. Publicatae autem ipsae jam sunt hae

solemni in Synodo lectione (Benedict. XIV. de Synod. Dioecesan. L. 13 c. 4. n. 1.), sed et typis excudentur, quo possit earum lectio quotidie peragi per omnes Ecclesiasticos, et Laicos, et in usum deduci. Quare et in Archiviis Ecclesiae Cathedralis, et in aliis Collegiatis, ac Paroecialibus binum exemplar Synodi adservandum praecipimus. Iubemus denique tam sacri Concilii Tridentini, quam nostrae hujusce Synodi rationem Examinatoribus reddituros esse, qui ad Ordinationem accedere volunt, vel ad Confessiones excipiendas deputari, nec non in periculo subeundo pro Paroecialis Curae impetratione.

Peracta jam Synodo, restat ut ipsam Sanctae Apostolicae Sedi subjiciamus in omnibus, adeoque humillime subjectam declaramus, et volumus. Infallibile judicium veneramur Beatissimi Pontificis Maximi, ejusque Oraculis, ut divinis adquiescimus, quoniam Sancto Irenaeo docente (contra Haer. III. 3) *ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire*: prout nostra, Dei opitulante misericordia, semper convenit, et in aeternum nexu indivulso conveniet. Amen. Amen.

Discedere Vobis a Synodo jam absoluta licet, Fratres in Christo carissimi, gaudium,

et corona capitis nostri (Phil. IV. I.). Mementote quaeso admonitionis gravissimae illius , quam S. Augustinus Episcopus reliquit libro II contra Cresconium , cap. 2. *Non Sacerdotes propter nos sumus , sed propter eos , quibus verbum , et Sacramentum Domini ministramus* . Ergo et honestate morum populo praeluceatis oportet , nec non etiam in Sacramentorum ministerio deservientes , omnia omnibus per charitatem effecti , nec peripsema etiam, et anathema pro Christo Domino esse renuatis . Ita demum fideles agnoscant vos genus inter illos electum esse , regale Sacerdotium , gentem sanctam (Petr. II. 9) Cooperatores nostri ubique sitis in opus ministerii , atque in aedificationem mystici Corporis Christi (Ephes. IV. 12) . Quae audistis commendate fidelibus (II. Timoth. 2. v. 2) Quae praecipimus et facite , et ut fiant curetis (I. Thessal. 3. v. 4). Exhibete vos Deo , et Ecclesiae Sanctae operarios inconfusibiles , quam rectissime tractantes verbum veritatis (II. Timoth. 2. v. 15) . Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia , integrum spiritum , corpusque servans sine querela in adventum Domini (I. Thessal. 5. v. 23) Gratia Pastorum Principis Salvatoris Nostri , charitas Dei Patrís , et communicatio

Sancti Spiritus sit cum omnibus Vobis (I. Cor. 13. v. 13) . Amen. Amen.

F. Silvester Archiepiscopus Amalphitanus.

Quibus praeactis Archiepiscopus dixit: Reverendissimi Patres , Fratresque omnes dilectissimi in Domino , placent ne Vobis ea omnia , quae in hac unica Synodali Sessione peracta , et ad morum nostrorum disciplinam, et ad Sacramentorum confectionem , et administrationem pertinentia sancita sunt ?

R. Placet.

Placet ne Vobis , ut ad laudem Omnipotentis Dei , Beatissimae Virginis Mariae , Sanctorum Apostolorum Petri , et Paulli , gloriosissimi Andreae Protectoris nostri , omniumque Sanctorum huic Sacrae Dioecesanae Synodi finis imponatur ?

R. Placet.

Ergo , antequam hinc cum pace discedamus , priusquam Deo Optimo Maximo gratiae , sicuti decet , reddantur , multi anni , pax , et gloria a Nobis adprecentur Sanctissimo Pio Papae VII Christi Vicario , Petri Successori , et Sanctae Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo .

R. Dominus conservet eum, et vivificet eum; et beatum faciat eum in Terra viventium; et non tradat eum in manu inimicorum ejus.

Serenissimo Regi nostro Ferdinando Borbonio semper Augusto, Orthodoxo, Pio, Clementissimo; Francisco Principi Iuventutis, Leopoldo Infanti Principi praeclarissimo, omnibusque Regiae Familiae pertinentibus anni multi, pax, victoria, triumphus.

R. Domine, salvum fac Regem, et exaudi nos in die, qua invocaverimus Te.

Reverendissimo hujus Cathedralis Senatui, omnibus Conlegiatarum nostrarum Ecclesiarum Canonicis, Venerabilibus Archipresbyteris, Parochis, et Sacerdotibus omnibus hujus nostrae Archidioeceseos Pax, Charitas, Benedictio, Felix Vita, felixque reditus ad sua.

R. Amen. Amen.

Ego F. Silvester Archiepiscopus Amalphitanus haec omnia adprobo, et subscribo; atque Sanctae Matris Ecclesiae judicio, atque correctioni subjicio.

Dicto deinde solemniter Hymno Ambrosiano, Pontifex dedit pastoralem Benedictionem; et publicatis Indulgentiis, singuli praesentes Ecclesiastici subscripsere manu propria.

Ego Andreas Paulillus Archidiaconus adprobo , et subscribo .

Ego Andreas Cantor Lucibello adprobo , et subscribo .

Ego Angelus Antonius Decanus Proto adprobo , et subscribo .

Ego Dominicus Primicerius Gambardella adprobo, et subscribo .

Ego Iosephus Lastaria Thesaurarius , et Theologus adprobo , et subscribo.

Sequuntur omnium illorum subscriptiones , qui fuere inter Ecclesiasticos Viros Synodo praesentes .

Januarius Canonicus Casabona a Secretis S. Synodi .

Ego infrascriptus ordinarius Reverendissimae Curiae Archiepiscopalis Amalphitanae Cancellarius , subscriptiones has omnes tales esse , veraciterque a singulis Archidioeceseos Presbyteris , mea praesentia exaratas , testor , atque adfirmo .

Nicolaus Canonicus Volpe Cancellarius .

FORMA JURAMENTI , AC FIDEI PROFESSIONIS .

Ego N. firma fide credo , et profiteor omnia , et singula , quae continentur in

Symbolo Fidei quo Sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet: Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Coeli, et Terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia Saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in Coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, et mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas , et Ecclesiasticas traditiones , reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes , et constitutiones firmissime admitto , et amplector .

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum , quem tenuit , et tenet Sancta Mater Ecclesia , cuius est judicare de vero sensu, et interpetratione Sacrarum Scripturarum , admitto ; nec eam umquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam , et interpetrabor .

Profiteor quoque septem esse vere , et proprie Sacramenta novae Legis a Jesu Christo Domino nostro instituta , atque ad salutem humani Generis , licet non omnia singulis necessaria , scilicet Baptismum , Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam , Extremam Unctionem , Ordinem , et Matrimonium ; illaque gratiam conferre ; et ex his Baptismum , Confirmationem , et Ordinem , sine sacrilegio reiterari non posse . Receptos quoque , et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus , in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio , et admitto ; omnia et singula , quae de peccato originali , et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita , et declarata fuerunt , amplector et recipio .

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium pro vivis, et defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum Anima, et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Costanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse; Eosque Orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Eccle-

siam , omnium Ecclesiarum Matrem , et Magistram agnosco ; Romanoque Pontifici , Beati Petri Apostolorum Principis Successori , ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo , ac juro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis , ac praecipue a Sacrosanta Tridentina Synodo tradita , definita , et declarata , indubitanter recipio , atque profiteor : simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejiectas , et anathematizatas , ego pariter damno , rejicio , et anathematizo .

Hanc vero Catholicam Fidem , extra quam nemo salvus esse potest , quam in praesenti sponte profiteor , et veraciter teneo , eamdem integram , et inviolatam , usque ad extremum vitae spiritum , constantissime (Deo adjuvante) retinere , et confiteri , atque a meis subditis , vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit , teneri , doceri , et praedicari , quantum in me erit , curaturum .

Ego idem N. spondeo , voveo , ac juro . Sic me Deus adjuvet , et haec Sancta Dei Evangelia .

F I N I S .



